

II. Sententiarum Petri Lombardi folio primo multatus ita, ut nunc initium sit: *— sit in potentia passiva ad actum suum &c.* finis vero Libri I. bene potest tamen esse ratio predeterminans ut recipiatur in decreto secundum dictum modum. Jam Liber II. hoc rubro gaudet: *Liber secundus fratris Roberti concenen, ordinis fratrum minorum.* Atque ita Nota illa praevia in Theca etiam Autorem Robertum Concensem adpellat. Incipit hic Liber: *Circa istum secundum librum primo queritur utrum in deo sit ponens aliquam potentiam in ordine ad rem extra creandam &c.* et finit: *sed voluntas preferendo unum alteri secundum propriam libertatem. Explicit Liber Secundus.* Lectio admodum difficilis propter insolita scribendi compendia; verum Opus extra Angliam non minus rarum. Apud Waddingum in *Bibl. Ord.* p. 308. legas: *Robertus Concio Theol. Paris. scripsit Commentaria in IV. Libros Sententiarum.* Est et alius Gesnero in *Bibl. Couuton*, Waddingo *Contonius* alias *Cothon*, Oudino *Couton* seu *Cothon*, Fabricio *Conton*, *Cotton* et *Coonton*, Tannero *Coonton*, *Conton* sive *Cothon*. Atque omnibus his nominibus designari unum Concensem nostrum haud dubito, diversitate partim orta e Librariorum ignorantia, partim e similitudine litterae *t* et *c* illo aevo, cui nuntium et nuncium, pretium et precium et centum alia debemus. Anglum natione Oxonii primum, tum Parisiis literas excoluisse tradunt, atque

hic gradu theologico et titulo *Doforis Amoeni* insignitum fuisse circa an. 1340. ut adeo Codex noster illius aetatem facile adtingat. Scripta illius apud Literatores citt. habes; nemo tamen praeter Gesnerum in ejus seculo lapsum, Oudinum *T. III. col. 934.* et Tannerum in *Bibl. Brit. Hib. p. 204.* diserte ait: in *IV. Sententiarum Libros* commentatum fuisse.

DXVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 441
XIV. Folior. 202. f. per duas columnas crassiuscule exaratus, coloribus distinctus et olim a celebri Mathematico nostro M. Johanne de Gmunden, qui a. 1442. vivendi finem fecit, donatus pro *Libraria collegij magistrorum Ducal.* hac rubrica gaudet: *Incipit primus sententiarum Magistri Landulfi Ord. M. De hoc Viro domo Caracciolo, Scoti auditore, Lectore Parisino, mox in patria Stabiarum primum, dein Amalphitano Praefule, demum a. 1351. vivis exento adeundus Waddingus, Ughellus, Toppius, Fabricius, qui post Waddingum ejus Scripta enumerat. Nostrum insit: Fundamentum primum Jaspis, 2^m saphirus, 3^m calcedonius, 4^m smaragdus, Apoc. 21. Augustinus doctor preclarus sacre scripture fastigium describens &c. et finit: in quo regnabimus cum illa concione beata exultantes in secula seculorum. Amen.* Subjecta est Quaestionum agitatarum Tabula.

II. fol. 125. *Incipit lectura 4^a libri sententiarum Magistri Landulphi ordinis fratrum minorum. Ita: Fundamentum &c. Circa III^m librum inchoando quero vnam questionem scilicet. Vtrum totalis nouitas alicuius effectus sit a virtute illimitata tantum. &c. Extrema sunt: Ad quam ille ipse nos perducatur, cuius regnum et imperium sine fine permanet &c. Amen. Explicit 4^m sententiarum, ut supra, et rursus Tabula.*

DXVII.

U. 440 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. per duas columnas non tamen eadem, qua praecedens, manu exaratus, coloribus distinctus, et, ut notatur in theca anteriore, quondam deputatus ad usum fratris Nycolai de Valchenstein studentis de provincia Austriae est iuxta clausulam Tabulae in calce Codicis ejusdem Landulphi Commentarius in II. Sententiarum, ut adeo non nisi Scriptum in III. nobis desit. Init: *Fundamentum primum &c. Celeber doctor bernardus mundialis fabrice conditionem admirans &c. et clauditur: nunquam inops et gaudens lucris. Qui es benedictus in secula seculorum. Amen. Tabulam Quaestionum adesse jam dixi. Com-*

Qui dare vult alijs non debet dicere vultis.
Accedit primum Index tractatorum alphabeticus cum altera parte regulae:

Hoc verbum vultis nocuit saepissime multis.

mentarium hunc impressum existere in Bibliotheca S. Laurentii major. Neapoli testatur Nic. Toppius in *Bibl. Neapolit.* p. 185. a me nunquam visum. Sed dolet Vir bonus nec Typographum, nec annum editionis sciri posse ob folium primum avulsam, in quo haec sane non oportebat quaerere, siquidem, ut ait, vetusta est Editio.

DXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 445 XIV. Folior. 350. f. per duas columnas nitide scriptus, et picturatus, olimque, ut theca postica docet, M. Jobannis Röchel (Argentinatis), qui eum a. 1411. comparauerat 7. florenis vngaricis, est iuxta verba clausulae *Lectura primi sententiarum edita a fratre gregorio de arimino ordinis fratrum heremitarum sancti augustini qui legit par. (ifis) Anno domini 1344. Initium prolixi operis est: Circa prologum libri sententiarum quero primo, utrum de obiecto theologico per theologicum discursum notitia proprie scientifica aquiritur &c. et finis: ut in omnibus nostra sit diuine uoluntati conformis eo prestante qui est super omnia benedictus in secula seculorum amen. Tum clausula jam adlata, et aurea regula:*

dein